



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniæ, 1709**

§.4. Gloria corporis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

mum loces, alium à Christo quæris? quære,  
 quære, dum licet, & ut libet: ego jam pridem  
 vovi, nec perfidum dixi sacramentum. Ille  
*meos*, primus qui me sibi junxit, amores ab-  
 stulit: ille habeat secum, servetque non sepul-  
 chro, sed in cælo, ubi cor, ubi corona. Tu  
 peccator & videbis, & dolebis. Dentibus  
 tuis fremes & tabesces, dicésque: Hiccine est?  
 de judice stupor erit, & de judicio. Ego ve-  
 rò te inter hœdos addictum Libitinæ caput,  
 heu! ne quicquam incendia deprecantem  
 usque & usque meo iam jure ridebo: tu pœ-  
 nitentiam ages infelix malam, seram, impor-  
 tunam; ego in sanguine peccatoris lavabo  
 manus meas. *Desiderium enim peccatorum*  
*peribit.* At at confido meliora. Ambo ride-  
 bimus. Ambo coronabimur, rapiemurque  
 cum illo in aëra. Et erit inter nos hoc so-  
 lenne celeusina, vicimus. Quale de Thebæis  
 referunt annales reciproco sibi cantu invi-  
 cem respondentibus è tumulis, hinc *exulta-*  
*bunt Sancti in gloriâ;* illinc *letabuntur in ch-*  
*bilibus suis.* O canticum!

#### §. 4. *Gloria corporis.*

Sed jam ad convivium *ire tempus* est, ad  
 nuptias, ad triumphum, ut spero, tuum me-  
 umque. *Hic mihi primùm occurrit vestis*  
illæ

## DE AMORE DEI.

97

illa nuptialis ; dico caro nostra, prætexta  
rum animæ , & consularis veluti trabea,  
quadruplici gloriæ dote , ut docet Aposto-  
lus, instructa. In quâ non secus ac in aureo  
curru triumphalique quadrigâ cœlo sui  
mundique victor animus invehitur. Ter-  
tulliano *gloria lutu nostri & venustas*. Nunc  
enim vas est ignominiæ , corpus humilita-  
tis & mortis; tunc autem erit vas in hono-  
rem, nulli vitio mendöve corporis obnoxi-  
um. Hoc locus , hoc curia tanti Principis,  
hoc cura aīnōrque nostrî , hoc ejus corpus  
in nostro corpore quasi quoddam gloriæ  
semen toties insitum ac implantatum , hoc  
postremò postulat exigūque mereri ratio  
atque societas. Nam quia corpus animæ  
collega fuit, & ut in certamine scutum; glo-  
riæ oportet ut particeps sit, sicut & ignomi-  
niæ fuit. Dictum est enim : *Si compatimur, &*  
*conglorificabimur*. Sed hanc ego corporis  
gloriam atque felicitatem unde exprimam  
tibi ?

Finge animo forniam omnium, quæ ex-  
titerint unquam , absolutissimam. habeat  
caput Veneris Gnidiæ , labra Roxanes, la-  
team Amazonis cervicem , oculos Miner-  
væ, totumque ab Apelle corpus: sit, ut Vir-

E

gi-

gilii tui Camilla , pedibus pernicissima, &  
quæque Zephyros cursu : sit, ut Achille  
Homeri, immortalitatis balneo tincta, & in-  
super oleo Phidiæ delibuta : nusquam pa-  
teat vulneri locus, ne summo quidem talo  
præterea deliciis undique circumfluat, ir-  
rigeturque, ut est apud Prophetam, torren-  
spinarum, & per omnes rivos fluant aquæ. si-  
denique qualis illa PANDORA vatum , idea-  
pulchri ; aut qualis illa Græcorum pulcher-  
rima simul & optima , aureo donata malo,  
vincit hæc omnia , immensoque præit in-  
tervallo caro nostra, SOROR CHRISTI , jam  
reformata, & ut Africani stylo loquar , AN-  
GELIFICATA ; imò non Angelo tantùm, sed  
ipsi etiam Christo par atque conformis. Pa-  
pæ! exclamat Chrysostomus, illine qui sedet  
ad dexteram Patris ? Illi, inquam: & addit  
plus esse in uno corpore splendoris , (quod  
jam tetigi ) quam si tot essent in mundo so-  
les, quot sidera cælo. Denique Apostolus  
ait , id nunc à nobis non posse compre-  
hendi.

Age mecum ita ratiocinare : *Nemo car-*  
*nem suam odio habuit. Effatum est. Quò enim*  
*studia, quò vergunt omnium vota, etiam*  
*Epicureorum, nisi ut illi bene beatèque sit?*

Hic

## DE AMORE DEI.

99

Hic scopus finisque curarum. Jam compara corpus corpori. Quale nunc hoc animæ sepulchrum? (*σῶμα Platoni quasi σῆμα.*) Quale tunc illud animæ mausoleum? surget enim in gloriâ, agile, subtile, spirituale, gloriosum. Quid ergo? si tuæ carnis verus est amor; unde boni tantum invides amatæ? rursus hîc ad tuam appello fidem. De resurrectione dubitas? non potes, si modò Christianus es: nam omnis fiducia Christianorum, est resurrectio mortuorum. (*Augustinus.*) Res posita est, inquit Jobus, haec spes mea in sinu meo. Rata est igitur, & certa. Responde nunc: si ut diù vivas, tanta moliris; quid ut semper? quid ut beatè? quid ut gloriosè? Quid dicas? amas an odis? si amas; cur immortalem, cur auream, cur Angelis Christoque parem, cur undique beatam non vis? si odis; cur animæ præfers & Christo, qui te & illam sic amavit ut in cælum, peccatricem licet ac planè contaminatam, ad se transferret? ô simia, quæ fœtum osculando præfocas! alterum è duobus opta. Ama vel odi: si amas, ama ut ames; si odi, odi ut salves.

E 2

§. §.